



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1626

Marcus Crassus. Capvt LI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68724](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68724)

*Elocutio
minime elo-
gans.*

mone. Itaque diligenter loquendi laude caruit: neque tamen est admodum inquinatè locutus, sed illa, quæ propria laus oratoris est in verbis. Nam ipsum latine loqui, est illud quidem (vt paulò ante dixi) in magna laude ponendum: sed non tam sua sponte, quam quod est à plerisque neglectum. Non enim tam preclarum est, scire latine, quam turpe nescire:

*Elocutio nã
est propria
virtus ora-
toris.*

(neque tam id mihi oratoris boni, quam ciuis Romani proprium videtur.) Sed tamen Antonius in verbis, & eligendis (neque id ipsum tam leporis causa, quam ponderis) & collocandis, & comprehensione deueniendis, nihil non ad rationem, & tanquam ad artem dirigebat: verum multò magis hoc idem in sententiarum ornamentis, & conformationibus.

*Antonij sty-
lus excelsè
figuratus.*

Quo genere quia præstat omnibus Demosthenes, idcirco a doctis oratorum est princeps iudicatus, *ἡμῶν* enim, quæ vocant Græci, ea maxime ornant oratorem: eaque non ita in verbis prægendis habent pondus, quam in illuminandis sententijs. Sed cum hæc magna in Antonio, tum actio singularis: quæ si patienda est in gestum, atque vocem, gestus erat non verba exprimens, sed cum sententijs congruens: manus, humeri, latera, supposito pedis, status, incessus, omnisque motus cum verbis, a sententijsque consentiens, vox permanens, verum subaueca natura: sed hoc vitium huic vni in bonum conuertebat. Habebat enim flebile quiddam in quæstionibus, aptumque cum ad fidem faciendam, tum ad misericordiam commouendam: vt verum videretur in hoc illud, quod Demosthenem ferunt, ei qui quæsiisset, quid primum esset in dicendo, actionem, quid secundum, idem: & idem tertium respondisse. Nulli res magis penetrat in animos, eosque fingit, format, flectit: talesque oratores videri facit, quales ipsi se videri volūt, huic alij parem esse dicebant, alij anteponebant L. Crassum. Illud quidem certè omnes ira iudicabant, neminem esse, qui horum altero patrono, cuiusquam ingenium requireret.

N. N.

à Plutarchus tribuit illi λόγον Σιρῆνα, ἡδὲ χάριν Σιρῆνα, & gratiam verborum, quæ globum etiam circumstantiam in litum, qui ad eum interficiendum venerant, velut præstigijs attonitum detinuit.

Marcus Crassus.

CAPVT LI.

Equidem quanquam Antonio tantum tribuo, quantum supra dixi, tamen Crasso nihil statuo fieri potuisse perfectius: Erat summa grauitas, erat cum grauitate iunctus facetiarum, & vrbauitatis oratorius, non scurrilis lepos: Latine loquendi accurata, & sine molestia diligens elegantia, in disserendo mira explicatio, cum de iure ciuili, cum de æquo, & bono disputaretur, argumentorum, & similitudinum copia. Nam vt Antonius coniectura mouenda, aut sedanda suspicione, aut excitanda, incredibilem vim habebat, sic in interpretando, in diffinendo, in explicanda æquitatè nihil erat Crasso copiosius, idque cum sæpè aliàs, tum apud centumuiros in M. Curij causa cognitum est. Ita enim multa, tum contra scriptum pro æquo, & bono dixit, vt hominè acutissimum Qu. Scæuolam, & in iure, in quo illa causa vertebatur, peritissimum, obrueret argumentorum, exemplorumque copia: atque ita tum ab his patronis æqualibus, etiam consularibus, causa illa dicta est, cum vterque ex contraria parte ius ciuile defenderet, vt eloquentium Iurisperitissimus Crassus, Iurisperitorum eloquentissimus Scæuola putaretur.

*Crassi, &
Antonij
paratio, &
de vtroque
Ciceronis
iudicium.
Crassi vir-
tutes.
Grauitas,
comitas, &
gansia se-
monis, in
explicandis
æquitatè
pia.*

Seruius Sulpitius.

CAPVT LII.

Non facile, quem dixerim plus studij, quàm Seruium, & ad dicendum, & ad omnes bonarum rerum disciplinas adhibuisse: nam & in iisdem exercitationibus incunte ætate, fuimus, & postea vna Rhodum ille etiam profectus est, quo melior esset, & doctior: & inde vt redijt, videtur mihi in secunda arte primus esse maluisse, quam in prima secundus. Atque haud scio, an par principibus esse potuisset, sed fortasse maluit, id quod est adeptus, longè omnium, non eiusdem modò ætatis, sed eorum etiam, qui fuissent, in iure ciuili esse princeps.

N. N.

a Seruius Sulpitius maluit Iurisperitorum esse primus, quam Oratorum secundus. Eius eximia laudatio extat Philip. 9.

Cotta.